

fessor, § 3, ubi etiam dicitur, ab antiquo fuisse illi Ordini indultum, ut unusquisque Monachus confiteri debeat suo Prælati, vel aliis de ejus licentia, aut designato confessori conventuali. Quæ concessio intelligi debet exclusive, scilicet ut alteri confiteri non possit, quantumcumque ipse confessor aliunde habeat jurisdictionem ad confessiones audiendas. Idem enim Pontifex, qui talem jurisdictionem concessit, potest alia via limitationem hanc adhibere, scilicet, ut respectu regularium nemo uti possit tali jurisdictione, nisi pœnitens a suo Prælati facultatem habeat. Denique limitationem illam expresse posuit Benedictus XI in Extravag. *Inter cunctas*, de Privilegiis, dicens: *Non religiosi, qui secundum statuta suorum ordinum propriis Prælati confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur*. Atque ita est etiam consuetudine receptum in omnibus religionibus bene ordinatis. Quæ consuetudo sufficiens esse solet ad suo modo dandam vel tollendam jurisdictionem in hoc foro. Unde nec moniales etiam confiteri possunt quibuscumque regularibus confessoribus, nisi de licentia suorum Prælatorum. Et ideo Congregatio Cardinalium, circa cap. 10, de Regul., sess. 23, Concil. Trident., declaravit, etiam extraordinarios confessores, qui aliquoties in anno dandi sunt monialibus, a Prælati illarum esse approbandos, ita ut si monasteria sint subjecta regularibus, Episcopi approbatio non sufficiat, nisi in aliquo extraordinario casu, quem infra in speciali capite de monialibus fortasse attingemus.

16. Tandem ex his omnibus probabiliter conjectare possumus, a principio non fuisse mentem Pontificum concedentium religiosi jurisdictionem ad confessiones audiendas, illis concedere facultatem audiendi confessiones regularium, invitit eorum Prælati; nam quæ a Deo et ejus Vicario sunt, ordinata sunt; cum ergo Prælati religionis ab ipso Pontifice habeat jus prohibendi subdito ne extraneis confiteatur, inordinatum esset ut alii nihilominus haberent jurisdictionem ab eodem Pontifice ad tales confessiones audiendas. Dices: eadem ratione dicitur esse inordinatum quod habeant jurisdictionem audiendi confessiones secularium invitit parochis vel Episcopis. Respondeo non esse similem rationem, quia non est tanta dependentia voluntatis hominis secularis a suo Episcopo vel Parocho, quanta esse debet voluntatis religiosi a suo Prælati; nec etiam est tam neces-

saria subordinatio inferioris ad superiorem, nec tam intima cognitio, quam superior debet habere de inferiore; et ideo in statu religioso multum invertitur debitus ordo per hujusmodi libertatem subditorum; quod non ita fit in statu seculari. Propter hoc ergo satis verisimile est, Pontifices nunquam intendisse dare hanc jurisdictionem cum detrimento religiosi ordinis ac disciplinæ; et ad hoc confirmandum juvant, quæ supra in simili puncto diximus, et per hæc satis responsum est rationi dubitandi in contrarium.

CAPUT XVII.

AN SALTEM PRO RELIGIOSIS PEREGRINIS AC NOVITIIS ABSOLVENDIS DETUR IN ALIIS DICTA POTESTAS.

1. *Responsio generalis.* — Peculiare autem hic dubium circa hoc occurrit de religiosi peregrinantibus, cui possint aut debeant confiteri de non reservatis (nam de reservatis in cap. 19, num. 2, dicemus). In quo, juxta regulas juris communis dicendum est, debere confiteri ei, qui in loco in quo inveniuntur, jurisdictionem habet ordinariam, vel delegatam, ut ex propria materia de pœnitentia constat. Quia vero religiosi etiam in hoc regi solent speciali jure, illud unusquisque servare debet, quod ad se pertinet, et generalis regula erit, ut unusquisque sequatur directionem sui Prælati, vel suæ regulæ, juxta dicta in proximo capite. Certum est enim religioso peregrinanti nec debere, nec posse denegari facultatem ut alicui confiteri possit, quia hæc necessaria est, considerata hominis fragilitate, et, seclusa præcisa necessitate, ad majorem perfectionem etiam confert.

2. *Deciditur unus casus circa peregrinos.* — *Deciditur alter casus.* — *Ratio decisionis.* — Deinde, distinguere possumus veluti tres casus. Primus est, quando religiosus peregrinus secum defert socium ejusdem religionis, sacerdotem, et sufficientem ad confessiones audiendas; et tunc communis observantia esse solet, ut religiosus peregrinans debeat socio confiteri, et non alteri, quia hæc solet esse voluntas Prælatorum, quæ licet aliquando non sit expressa, sufficit tacita, et inclusa in ipsa licentia sic peregrinandi, quam recta ratio et communis consuetudo satis indicant. Secundus casus est, ut religiosus peregrinus sit hospes in alia domo vel monasterio ejusdem religionis; et tunc regula est ut confi-

teri debeat vel Prælati ipsius domus, vel alteri de licentia ejus, vel confessori conventuali, qui est quasi Ordinarius illius loci; non tamen poterunt confiteri aliis religiosi ejusdem domus, si ad audiendas confessiones suorum religiosorum a Prælati expositi non sint. Ratio est, quia illi non habent jurisdictionem ad audiendas confessiones religiosorum; ergo nec circa hospitem habent. Prælati vero vel Ordinarii habent jurisdictionem, cui jure hospitii subdi potest peregrinus pro eo tempore quo ibi moratur.

3. *Evasio.* — Dices, rationem hanc procedere considerando jurisdictionem ut manantem a Prælati illius domus, vel per se illi convenientem; secus vero intelligi posse de jurisdictione manante a Prælati ipsiusmet peregrini, qui dedit illi facultatem eligendi confessorem, ut de clerico seculari statim dicemus. Ergo per illam poterit eligere quemcumque religiosum illius domus. Respondent aliqui non posse, quia alii religiosi illius domus non sunt approbati a Prælati religionis ad audiendas confessiones religiosorum; religiosi autem quamvis possint eligere sacerdotem non approbatum ab Episcopo, juxta Concilium Tridentinum, non tamen possunt eligere, juxta antiquum jus (quod Tridentinum in hac parte non mutavit), nisi sacerdotem approbatum a suis Prælati. Sed hoc non satisfacit; nam vel approbationem intelligunt collationem jurisdictionis, et sic est verum quod assumitur, tamen in eo quod subsumitur, petitur principium; nam hoc est quod contendimus, scilicet, quemlibet religiosum electum a pœnitente, eo ipso esse approbatum ab ipsius Prælati, per facultatem quam ille fecit eligendi confessorem; sicut de seculari clerico statim dicemus. Si autem per approbationem intelligatur judicium prævium, seu declaratio authentica de sufficientia ad audiendas confessiones, qualem nunc requirit Concilium Tridentin., ab Episcopo datum ad audiendas confessiones secularium, sic falsum est assumptum, quia nec antiquo jure fundatum est, nec consuetudine constat, ut ex sequenti casu evidentius constabit. Item illo modo non satisfit difficultati; nam possunt esse in illa domo multi, qui sæpius fuerunt confessores fratrum, et tunc non sint, qui, quantum ad approbationem, quæ excogitari potest, seclusa jurisdictione, merito censi debent approbati, et tamen non licet hospitibus confiteri. Dico ergo rationem hujus esse, quia in eo casu non potest manare jurisdictio

a Prælati pœnitentis. Nam facultas, quæ illi datur ad eligendum confessorem, solum est pro casibus necessitatis, quando deest ordinarius confessor ejusdem religionis; tunc autem jure hospitii ille habet sufficientem ordinarium confessorem ejusdem religionis, etiam applicando cum proportionem jus commune; ergo tunc cessat facultas eligendi confessorem, et consequenter deest omnis jurisdictio, quæ manare potest a Prælati pœnitentis. Unde si Prælati concessisset expressam facultatem eligendi quemcumque sacerdotem, etiam in monasteriis ejusdem religionis, tunc sine dubio posset cuicumque confiteri, nisi statuta religionis ita repugnarent, ut illam facultatem irritam redderent. Regulariter autem superiores talem facultatem non concedunt, vel quia per regulam prohibentur, vel certe quia per se est irrationabilis, et contra debitum ordinem sine ulla necessitate. Quapropter eo ipso quod talis facultas non est expressa, censetur non concessa, nec comprehensa sub generali facultate, quæ et necessitatem respicit, et debitum ordinem religiosum.

4. *Quid quando concurrunt ambo præcedentes casus.* — Addendum vero occurrit circa hunc et præcedentem casum, si ambo simul concurrant, liberum esse religioso alterutro ex illis modis confiteri, id est, si religiosus habens socium sacerdotem in aliquo monasterio suæ religionis hospes sit, posse vel socio suo, vel Ordinario ipsius monasterii confiteri. Ita enim, quantum intelligere possumus, habet consuetudo. Et ratio esse potest, quia in utroque illorum est sufficiens titulus jurisdictionis, et per se non repugnat habere duos confessarios idoneos; neque ibi intervenit voluntas proprii Prælati, quæ unum illorum acceptet, et alterum excludat; nullam enim est ratio sufficiens ad præsumendam illam, cum uterque illorum modorum sit per se satis ordinatus, et consentaneus religioni. Secus vero esset, si vel superior aliud ordinasset aut declarasset, quod sine dubio facere potest, vel per specialem regulam aut consuetudinem religionum aliquid etiam definitum esset, nam illud semper observare necesse est.

5. *Deciditur tertius casus.* — Tertius casus est, quando religiosus divertit ad loca extra monasteria suæ religionis; et tunc, seclusis particularibus voluntatibus, seu instructionibus Prælatorum, quæ non cadunt sub scientiam, nisi quoad hoc solum quod servandæ

sunt, quando non fuerint plane injustæ, his, inquam, seclusis, generalis regula est, tunc posse confiteri cuicumque sacerdoti seculari, vel regulari, quia non debet privari subsidio confessionis. Atque ita docent omnes; dubitant tamen an ad hoc sit necessaria expressa licentia Prælati, vel sufficiat tacite inclusa in licentia peregrinandi. Respondetur tamen quamcumque sufficere, ut alias in materia de Pœnitentia generaliter diximus de hujusmodi peregrinis; non enim debent esse peioris conditionis religiosi peregrinantes quoad hanc facultatem. Præterea, quia talis facultas secundum rectam rationem debita est, et quasi necessitate morali annexa peregrinatio; ergo concessio antecedente, virtute est concessum consequens. Deinde, communis consuetudo satis in hoc interpretatur voluntatem Prælatorum; eo vel maxime quod vix potest fieri, quin in regulis vel constitutionibus uniuscujusque religionis hoc satis declaratum sit. Imo etiam sunt aliqua privilegia Pontificia, concedentia religiosis, ut dum itineraverint, vel fuerint extra conventus suos duntaxat, valeant confiteri quibuscumque sacerdotibus regularibus, vel secularibus. Ita concessit Sixtus IV Minoribus, ut refertur in lib. Monumenta Ordinum; et Innocentius VIII Cisterciensibus, ut in eorum Compendio refertur. In quo indulto notari possunt illa verba, vel fuerint extra conventus suos; nam si intelligatur absolute de omnibus conventibus sui Ordinis, confirmant optime quæ diximus in superiori puncto, num. 2, estque expositio satis pia, et probabilis, sed non cogens, quia possunt illa verba exponi respective de conventibus suis, id est, propriis, in quibus habitant, unusquisque, scilicet, in suo.

6. *Quæstiuncula secunda circa proximum tertium casum.* — Interrogari ulterius potest quem sacerdotem debeat tunc religiosus eligere, an habentem alias jurisdictionem, an approbatum ab Episcopo, an regularem, si possit. Respondetur ad primum: non est necessarium ut sacerdos eligendus alias jurisdictionem habeat, quia non debet religiosum absolvere per jurisdictionem Episcopi vel Parochi, sed per jurisdictionem quam recipit a Prælato regulari, media facultate eligendi ipsum, quod satis patet ex dictis. Unde in hoc est notanda differentia inter peregrinum secularem et religiosum, quia secularis absolvitur in aliena diœcesi more incolarum illius loci in quo versatur, ut alibi diximus in materia de Pœnitentia. Religiosus autem,

etiam peregrinus, semper absolvitur jure religiosorum, atque adeo per jurisdictionem manantem a suis Prælati. Et ratio fortasse est, quia religiosus, licet peregrinetur, nunquam vagatur extra suam diœcesim, quia religio non clauditur certis terminis localibus alicujus diœcesis; unde religiosus semper retinet actualem subjectionem perfectam ad Prælatum suum, ut per illius jurisdictionem in utroque foro gubernetur, quantum fieri possit.

7. Ad secundam interrogationem respondetur, non esse necessarium religiosum eligere sacerdotem approbatum ab Episcopo, nisi a Prælato suo in facultate sibi concessa id fuerit specialiter præscriptum. Ratio prioris partis est, quia illa approbatio nec ex natura rei, nec ex jure antiquo est necessaria, sed solum ex novo jure Concilii Tridentini; Concilium autem solum voluit illam approbationem esse necessariam ad confessiones secularium audiendas, ut ex contextu constat, et alibi ex professo tractatum est. Ratio vero alterius partis est, quia Prælati potest facultatem concedere limitatam ad certum genus personarum; ergo potest etiam limitare illa conditione adjecta. Verumtamen, nisi illam aperte exprimat, non est præsumenda, quia non est verisimile voluisse Prælatum imponere onus quod Concilium non posuit; si enim voluisset, expressisset, hæc enim regula in oneribus maxime imponendis servanda est, præsertim cum respectu regularium non sit tam necessaria hæc conditio, tum quia frequentius confitentur, tum etiam quia cautius vivunt, et ita facilius possunt idoneum confessorem eligere, etiamsi illo solemniter approbatus non sit.

8. Ad tertiam interrogationem eodem modo respondendum est, per se loquendo, liberam esse electionem secularis vel regularis sacerdotis, nisi Prælati expresse adhibeat limitationem aliquam; tunc enim illi standum est, alioquin non est cur præsumatur. Solum posset quis dubitare, quando contingit in eodem loco concurrere religiosum ejusdem ordinis; tunc enim videtur valde probabilis præsumptio voluntatis Prælati, ut subditus extraneo sacerdoti, sive seculari, sive regulari non confiteatur, cum possit habere suam religionis confessorem. Et sane ita est consulendum, quia per se est magis ordinatum, magisque commendat unitatem, et fidelitatem erga religionem. Nihilominus, ubi non fuerit vel in regula præscriptum, vel a supe-

riore ordinatum, non censeo esse necessarium, quia omnis hæc limitatio est onerosa et scrupulosa, et ideo nisi de illa expresse constiterit, non est imponenda.

9. *Peregrinantes religiosos alicubi teneri aperire suam conscientiam cum redeunt.* — Tandem quæri hic posset an hæc facultas peregrinantium regularium se extendat ad obtinendam absolutionem a casibus in sua religione reservatis. Sed de his casibus dicemus in cap. 19, nunc enim tantum de ordinaria confessione simpliciter locuti sumus. Observandum vero est, in multis religionibus præscriptum esse ut qui iter egit, cum primum ad monasterium redit, integre confiteatur omnia quæ gessit ab ultima confessione in monasterio ante discessum facta. Et quidem D. Basilius, in regula 44, ex fusioribus, monet ut Prælati omnia manifestentur; sed ibi non agit de sacramentali confessione: tamen illud statutum habent Carthusiani, ut serunt; et idem habet Ordo S. Hieronymi in suis Constitutionibus, cap. 20. Et in Societate universalior regula traditur, ut qui alii quam suo confessario designato confiteretur (utique ex justa causa, qualis est absentia), debent postmodum quantum recordari poterit eidem confessario suo totam suam conscientiam aperire, ut nihil ignorando quod ad eam pertineat, melius in Domino possit eundem juvare, habetur tertia part. Constit., cap. 1, lit. Q, et in Summario Constitutionum, § 9. Ubi autem similis constitutio vel consuetudo servatur, videri potest facultatem religioso concessam, ut tempore absentiae vel peregrinationis confessorem eligat, non esse absolutam, sed sub onere iterum eadem confitendi proprio Prælati, vel confessori; nisi enim hæc conditio fuisset in facultate apposita, non posset postea obligari religiosus ad confessionem iterandam, quia hæc non est materia præcepti.

10. *Talis obligatio non est ex reservatione, sed ob majorem perfectionem.* — Verumtamen, seclusis peccatis reservatis, de quibus postea, non censeo esse ita explicanda hujusmodi statuta, tum quia illa non solum loquuntur de materia peccati mortalis, sed etiam de venialibus, quando talis est ut ad majorem perfectionem pertineat illam expresse confiteri; tum præterea, quia etiam in materia mortali non solum comprehendunt externa peccata, sed etiam interna per solam cogitationem et consensum; durum est autem dicere, facultatem confitendi peccata mere interna dari sub illo onere; quia illa esset quædam eorum

reservatio, quæ in usu non est. Unde etiam confirmatur, quia per illa statuta non reservantur omnia peccata quæ religiosus committit dum iter agit; ergo facultas ad confitenda illa non datur sub hoc onere, quia illo modo dari non solet, nisi pro peccatis reservatis. Est ergo facultas absoluta, et ita ex vi confessionis nulla obligatio remanet. Nihilominus tamen illa statuta sancta et perfecta sunt, tum quia, licet iteratio confessionis in qua fuerint peccata absolute remissa, non cadat sub præceptum, cadere tamen potest sub regulam perfectionis, quando illa iteratio specialem habet rationem utilitatis; tum etiam quia, esto præceptum illud, nulla suppositione facta, imponi non possit, tamen voluntarie, media professione et voto, obligare posse, ut graves Doctores docuerunt, Major, in 4, d. 17, quæst. 6; Gerson, in regulis moralibus, tit. de Pœnitentia, tom. 2, Alphab. 23, lit. F; Adrianus, in 4, quæst. 5, de Confessione; Medina, Cod. de Confessione, quæst. de Facultate et fructu reiterandi confessionem; Navar., in cap. *Placuit*, de Pœnit., distin. 6, num. 118. Dico tamen similia instituta non inducere specialem obligationem in conscientia, sed solum simplicis regulæ, ubi aliud expresse non declaratur; quia illa obligatio, quæ manet, non nascitur ex modo potestatis concessæ ad absolvendum, seu ex virtute clavium in foro sacramentali, ut ex dictis patet; sed nascitur præcise ex voto. Et hæc de peregrinis religiosis.

11. *Quid dicendum circa novitios.* — *Prima sententia insufficienter fundata.* — *Secunda sententia probabilis.* — Jam quoad novitios dubitari etiam potest an confiteri possint sine licentia Prælati sacerdoti alias habenti jurisdictionem. In quo tres possunt esse sententiæ. Prima, sine distinctione docens non posse novitium tali sacerdoti confiteri; tenet Corduba, lib. 1, quæst. 30; citatur Gerson, alphab. 34, lit. P; sed ibi solum ait Abbatem posse absolvere novitios sicut professos. Hinc vero sumitur ratio hujus opinionis, quia novitii pro eo tempore sunt commissi jurisdictioni religionis. Sed hæc ratio, ut supra cap. 16, num. 14, dixi, non vincit, nisi addatur exclusio ab alia jurisdictione, quæ ex vi illius principii non necessario sequitur. Et ideo est secunda opinio satis probabilis, quæ distincte ait, posse novitium confiteri cuicumque sacerdoti habenti jurisdictionem, vel ab Episcopo ipsius novitii, vel a Papa, per privilegia, verbi gratia, religionum; ita simpliciter